

colaus presbiter fauentinus scripsit. Fuerit hic ex illis, quorum J. Alex. Brassicanus in Praef. ad *Salvianum*. Basil. 1530. Norimb. 1623. et rursus in *Collect. Maderiana de Biblioth.* p. 145. his verbis meminit: *Matthias rex quatuor insignes librarios Florentiae magnis impendiis alebat. Quod pictorem nostrum adtinet, Georg. Vasarium Vite de' Pittori* P. II. edit. Bonon. 1647. p. 359. audiamus; Ita enim ibi de *Gerardo* famoso Miniculate Florentino: *Miniò alcuni altri libri per Matbia Corvino Rè di Vngheria; i quali soprauenuta la morte del detto Rè insieme con altri di mano di Vante, e d'altri maestri, che per lo detto Rè lauorauono in Fiorenza, furono pagati e presi dal Mag. Lorenzo de' Medici &c. Vante* quem appellat, plenius dictus *Attavantes* est celebrer et ipse Florentinus pictor, de quo *suprac. Vasarius* p. 270. quique *Fol. I.* Codicis nostri aduerso nomen suum ita adscripsit: *Attavantes pinxit.* Aliud ejus artis specimen Codice alio videbimus. Praesentem hunc nostrum neque *Martianaeus*, neque *Vallarsius* consuluit, quorum prior haec Hieronymi Commentaria T. III. a col. 697. posterior T. V. a col. I. exhibet.

complectitur: I. *Commentarium Hieronymi in Danielelem*. Sec. XIII. Inscriptio miniata: *Incipit prologus. Beati Ieronimi Presbiteri Super Danielelem Prophetam.* Initium: *Contra prophetam danielem duodecimum librum scribit porphirius &c.* Operis inscriptio et initium: *Incipit Explanatio Beati Ieronimi Presbiteri Super Danielelem Prophetam. Anno Tercio regni ioachim regis iuda &c.* Finis: *tunc querendum est ei quid respondere debeamus.* Lectio proba est, et consonat editae a *Vallarzio* T. V. *Opp. Hier. col. 617.* vel saltem Variantibus, quae ibi in *not.* subjiuntur. Ad C. I. v. 7. nomen *Ioseph* a *Pharaone* datum scribitur *Somnophaneg.* Vacillant et *Graeca* subinde. Vide et *Cod. CCXLIV.*

II. *fol. 31.* manu Sec. XI. sequitur *Claudiani Mamerti* vel *Mamerci* Ecclesiae *Viennensis* Presb. non Episcopi, ut quibusdam creditum, sed *Mamerti* Ep. *Vienn.* fratris et adiutoris *Opus de Statu Animae*, vel, ut addit *Gennadius Massil.* c. 53. *de Substantia Animae*, Libris III. definitum, quo *Fausti* Ep. *Rbegiensis* Scriptum *de Creaturis*, quod illis *incorporei nihil insit*, confutavit. Obtulit illud *Sidonio Apollinari* *egyptiaco* nondum Episcopo, ideoque ante an. 471. Docet id *Praefatio* epistolaris in *Cod.* nostro absque omni alia inscriptione praefixa: *Praefectorio Patricio Doctissimo et Optimo Viro sollio sidonio. Claudianus.* Initium: *Editionem libellorum mihi quos de ani-*

VI. F. 33. CCXLVI.

417 Codex membraneus lat. non unius Sec. Folior. 175. 4. olim *Monasterij sancti Floriani* (Canon. Reg.) *patauien. dyoc.* sequentia *Denis Codd. mss. theol. Bibl. Palat.*

H h

me

me statu condidi &c. Initium ipsius Operis a celebri, cum primis hodie, veritate: *Magnum in genere humano solli sidoni frater amantissime multorum uitium est arrogans impericia &c.* Iteratas ejus Editiones discas e T. II. *Hist. Lit. Franc.* p. 450. Ego Codici *Cygneae* procuratam 1655: a literatissimo *Casp. Barthio* 8. adhibui, lectionibus variis et omni adjumento ad Scriptorem non e facillimis pervidendum locupletem, et vix aliquid differre comperi. En specimen e *Praefat.* Edita egomet haud temere suscepissem. Cod. omittit haud. Ed. *conferta nobiscum manu.* Cod. *nobis.* Ed. *Philosophiae* vel *Philosophomenon nec non regulis.* Cod. *philosophomenon regulis.* Ed. *habita* — *congressione.* Cod. *congressio.* C. I. Ed. *ratiocinatione tendamus.* Cod. *ratione.* Ed. *illudunt imperitos.* Cod. *imperitis.* Ed. *quamquam plestibili.* Cod. *tam plestibili.* Ed. *disputationis intrare.* Cod. *intrari* &c. Finis Operis, quod nobis in *Capita* divisum non est: *Quoniam altrinsecus concionati* (edit. *continuati*) *uirium* (ed. *viarum*) *periculum fecimus experiere scilicet ueritatis uis quanta sit in excidium falsitatis.* Id addo, *Codicem* non una manu descriptum fuisse, eamque, quae posterior est, paullo antiquiorem videri.

III. fol. 100. columnis 2. manu Sec. XIV. *Leitura super prologum librorum sententiarum.* Initium: *Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens. Eccli. XXXIX. Verba ista libri senten-*

tiarum &c. *Mutila* et nullius momenti. IV. fol. 103. p. 2. eadem manu: *Secuntur sententiae librorum veteris testamenti.* *Capita* singula juxta divisionem *Vulgatae* primis verbis indicantur, et cujusvis *Summarium* adjicitur. Ita: *Genesis. I. In principio creauit deus &c. De operibus sex dierum. et ornatu eorum. et formatione hominis.* &c. Abrumpitur hoc institutum in c. 22. *Lib. I. Reg.* V. fol. 108. manu Sec. XIV. ut omnia reliqua *Codicis*: *Incipit liber lotharij uel innocencij de uilitate* (al. *miseria*) *conditionis humane.* Norunt Bibliographi inter *Artis impressoriae rudimenta duas* exhiberi *Opusculi* hujus Editiones, quarum unam a me in *Memorab. Bibl. Garell.* vernac. P. I. p. 191. descriptam propter annum MCCCCXLVIII. in *Titulo* praefixum Cl. *Schoepflinus* in *Vindic. Typogr. Argent.* p. 40. nimum facile et huic anno et *Argentinae* suae adtribuit, alteram Cl. *Schelbornius* in *Diatr. praelim.* ad *Card. Quirini Librum sing. de opt. Scriptor. Editt. Roman.* p. 24. prodidit, cujus et specimen aeri incisum adjecit, quod nescio cujus errore pro p. 24. ad p. 8. revocatum est, ubi de *Schoepfliniana* Edit. agitur, ut adeo credi possit, specimine illo *Schoepflinianam* repraesentari, a qua tamen *Schelborniana* non parum differt; neque enim, ut aliquid tangam, annum illum 1448. in *titulo* praenotat, et dum illa finit: *Explicit liber de miseria*

conditionis humane, haec concludit: *Explicit Innocencius De miseria humane condicionis. laudetur deus eternaliter.* Codex porro noſter partim hanc, partim illam ſequitur. Ita cum Schoepfl. ſub finem legit: *frigus et cauma. ſulphur et ignis ardens in ſecula ſeculorum*, et cum Schelh. addit: *Vnde liberet nos dominus deus noſter qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum. Amen.* Utrumque coniungit et Editio in *Opp. omnib. Innocentij III. Colon. 1575. p. 450. f.* quae pariter tollit *σφαλμα* illud *Prologi*, quod cum Co-

dex, tum utraque illa vetus editio habet: *uilitatem humane nature chriſto fauente deſcribam*, ubi *dignitatem*, ut oportet, reponit. An vero *Opusculum 'αντιθετον de Dignitate humanae Naturae* reipſa ſcripſerit *Innocentius*, non liquet. Nemo faltem id haecenus excitauit.

VI. fol. 129. *Collectanea quaedam de Miſſa pro Mortuis et de Morte.* Excerpta ex *Hugonis a S. Victore Opere de Clauiſtro Animaе.* Ex *Antiquitatum L. ult. Fl. Joſephi. Verba beimonis ſuper apokal.*

Cum fuerint anni tranſacti. M. CCⁱⁱ. et decies quini poſt partum uirginis alme. Tunc antichriſtus naſcetur demone plenus.

Parabola una e *Libro Barlaam et Joſaphat* ſub *Job. Damasceni* nomine pluries vulgato.

VII. fol. 144. *Libellus a manu Sec. XV. praenotatus: Tractatus de pronoſticatione futurorum ex ſompnijs.* Initium: *Philoſophantes antiquos ſiue Indos ſiue perſas, egyptios ſiue grecos in uisionibus ſompniorum ſequentes ſpirituali motu diligenter inuenimus ſtu-*

diſſe &c. Libellus iſte partes duas habebit. Prima modum pronoſticationis generalem continebit cum cauſis. Secunda uero particularis uisiones deſcribet. Nugae nugarum, in quibus neque linguae pretium eſt, quod faltem in editione *Ονειροκριτων* ſuorum tulit *Nic. Rigaltius.* Autorem non reperio. *Librarius ſubjecit:*

Jam ſcriptor ſiſte tenuit labor iſte ſatis te.

Qui me ſcribebat Albertus nomen habebat.

Explicit explicet ludere ſcriptor eat.

Non uideat chriſtum qui librum ſubtrahit iſtum.

VIII. fol. 150. alia manu: *Incipit pharetra fidei contra Iudeos.* Praeit *Elenchus Capitum utriusque Partis*, et *Admonitio de Modo cum Iudaeis diſputandi*, ſive

triplex Cautela. Operis ipſius initium: *Tolle arma tua pharetram et arcum &c.* Pars II. hanc rubricam praefert: *Hec ſunt excerpta de erroribus Iudeorum in*

talmut que transtulit frater Theobaldus superior ordinis predicatorum parisiensis. Et finit: quod fere submerserat XII. exploratores. Confer, quae de hoc Tractatu diximus ad Codd. in Indice notatos.

IX. fol. 164. p. 2. *Tractatus Paschalis de roma contra iudeos. Praemittuntur sequentia: Paschalis de roma hoc opusculum disputationis iudeorum contra sanctum anastasium abbatem ad honorem venerabilis patriarche gradensis beinrici dandoli fideliter ac devote transtulit. Anno domini M. C. LVIII. Henricus hic fedit ab an. 1130. usque ad an. 1186. De Paschali non habeo, quod dicam. Anastasi, quem Abbatem S. Euthymii in Palaestina Job. Damasceno συγγεγονν fuisse censent, opus mutilum e Canisii antiq. Leß. T. III. in T. XIII. Bibl. PP. Lugd. ad p. 333. transtulit, interprete Franc. Turriano. Quod in Cod. nostro habetur non nisi ejus επιτομην dicas, licet non parum etiam cum graeca Disputatione, quae sub Athanasii Alex. nomine ms. in Bibl. Aug. extat et a Lambeccio L. V. p. 135. indicatur, congruat. Et quid, si Athanasius natus ex Anastasio, aut vice versa? Initium nobis: Interrogavit Judeus. Cum preceperit deus ligna non esse adoranda. quare christiani ea colitis et adoratis facientes ex illis cruces et ymagines. Christianus dixit &c. Finis: baptizati sunt christum verum deum et hominem confitentes cui gloria &c.*

X. fol. 170. p. 2. *Incipit tractatus Ieronimi de incarnatione domini contra iudeos. Et rursus: Incipiunt capitula primi libri de eterna et temporali christi natiuitate. quem edidit beatus ieronimus ad confutandam Judeorum ceterorumque impiorum perfidiam. et ad corroborandam fidem christianam. Initium: Inpij iudei prophetis dei increduli &c. In medio rubrica: Huc usque de eterna christi natiuitate dictum est. deinceps de temporali. Finis: et in templum proiecit et laqueo se suspendit. Mera textuum biblicorum congeries adjectis breviter expositionibus, quarum ut multae Hieronymi sint, alias tamen ex aliis Patribus ignotus Compiler depromsit.*

CCXLVII.

Codex membraneus lat. Sec. 55 XV. Folior. 238. f. peritissima manu scriptus, frontibusque et literis initialibus non inferiore penicillo deauratis et depictis iussu et sumtibus Matthiae Corvini Hung. Reg. continet I. Commentaria Hieronymi super Matthaicum. Fol. 1. p. 2. in ferto omnibus Florae Pomonaeque copiis diuute caractere aureo quadrato legitur: *In hoc Volumine haec continentur. Dious Hieronymus in Mattheum in Marcum in Ecclesiasten item quaedam alia Opuscula. Ora. fol. seq. ornata est Icone Servatoris, quatuor Evangelistarum et ipsius Regis Μωϋϋηϋ, tum Insignibus illius et speciatim Corvo, praefertque hunc titulum:*

In-